



loci iis, quibus hoc nomen competebat, incubuisse mihi persuadeo, vt, in villis, Senatui subiectis, negotia iuris procurarent. Ex iis villis, ea, quae Oster Wey olim dicebatur, vel primum, quod a Marchionibus Misniae acceperunt feudum, vel prae aliis insigne fuit (*m*): Vt inde igitur nomen sit ortum, die Oster Wey Schultheis Gerichte.

Ex Scabinorum in oppido nostro clarorum societate in eaque latis sententiis iura vrbi nostrae, Zuiccauiiae, propria, quae alia voce statuta, germanica vero Weichbild vocantur, ortum duxisse, eo facilius, ut credam, inducor; quo certius apud viros istius generis antiquitatum peritissimos habetur, et ius Magdeburgense municipale, das Magdeburgische Weichbild, à Scabinis deriuandum esse Magdeburgensibus, qui olim ibi inclaruerunt, quorum effata etiam in Polonia colebantur (*n*). Et quod nomen quidem Weichbild spectat, ex voce Weich seu Wich, qua vrbs quondam in nostra lingua denominata est (*o*), et Bill, qua ius, fas, aequum, olim prisca vocarunt, compositum esse, atque ita Weichbild ius ciuitatis denotare, quidam antiquitatum nostrarum felicissimus interpretes docet (*p*). Zuiccauiam vero proprium ius municipale habere (Stadt-Wilkür) ex moribus et iuribus prisca Germanorum, vti aliarum urbium statuta, conditum, neminem nostrum latere potest: quod, Amplissime Vogeli, Dissertatio Tua inauguralis, multa doctrina refertissima, pertractat, et aequitati consentaneum esse, nec in totum a Iure tum Romano tum Saxonico discrepare egregie evincit (*q*).

Statuta

LXI. it. Zobel in addit. editionis suae Iuris Prouinc. ad Art. LXI. Lib. III. art. a.

(*m*) Nomen huius villae nostro aeuo plane periit: sita fuit illa inter urbem et Bellwitz. Anno 1350. Senatus eam a nobili quodam de Stein pretio redemit, et a Marchione Misniae, cum plenaria iurisdictione in feudum accepit. Iam in Diplomate anni MCCXII. eius fit mentio, eique Parochia adscribitur, quae procul dubio Mauritiū templum est, quod in suburbio et hoc tempore frequentatur. Vid. M. F. G. Götters Nachricht von Nonnen-Closter zu Eisenberg, p. 18.

(*n*) Vid. N. H. Grundlingii Colleg. Histor. litter. T. II, p. 767. B. G. Struuii Hist.

iuris 476. seq. Sächsisches Weichbild, Art. X. F. XVIII.

(*o*) Anglica lingua conseruasse videtur hanc vocem, ipsique eandem significationem tribuit, quam olim apud maiores nostros obtinuit.

(*p*) Vid. Wachteri Glossarium sub voce Weichbild. Et hinc etiam olim curia Weichhaus dicta fuit, id est, urbis domus vid. Gloss. des Weichbilds Art. IX. Fol. XVI. Art. VI. Fol. IX.

(*q*) Vid. Disp. inaug. Viri Praecell. D. Georg. Gottlob Vogeli de Statutorum Cygnensium et Iuris Romani ac Saxon. differentia, Lipsiae Anno 1734. habitam.